

XXIII. MULTIPLICATO UNO OPPOSITORUM, MULTIPLICATUR ET RELIQUUM. Intelligendum est 1^o « de multiplicatione non secundum divisionem, quae est in partes subiectivas, sed secundum diversas acceptiones, sive significationes. Cum enim irrationale dividatur contra rationale, non oportet quod tot sint rationalia, quot irrationalia ¹». 2^o Intelligendum est de oppositis, « in quibus est eadem ratio multiplicationis ». Quocirca, « cum bonum contingat ex una et integra causa, malum autem ex singularibus defectibus ² » fieri potest, ut « uni virtuti plura vitia opponantur ³ »; nempe « uni bono nata sunt opponi plura mala, cum malum sit multifariam, et bonum uno modo ⁴ ».

XXIV. MULTIPLICATO UNO RELATORUM, MULTIPLICATUR ET RELIQUUM ⁵.

XXV. MULTIPLICITAS NOMINUM NON ATTENDITUR SECUNDUM NOMINIS PRAEDICATIONEM, SED SECUNDUM SIGNIFICATIONEM. E. g., « hoc nomen *homo* de quocumque praedicitur, sive vere, sive false, dicitur uno modo; sed tunc multipliciter diceretur, si per hoc nomen *homo* intenderemus significare diversa, puta si unus intenderet per hoc nomen *homo* id quod vere est homo, et alius intenderet significare eodem modo lapidem, vel aliquid aliud ⁶ ».

XXVI. MULTITUDO EX UNITATIBUS CONSTITUITUR. Ratio est, quia multitudo est totum *heterogeneum*, in quo nempe quaelibet pars caret forma totius, quemadmodum pars domus non est domus, neque pars hominis est homo ⁷. At vero, unitates constituunt multitudinem, non quatenus opponuntur multitudini, nullum enim oppositum ex suo opposito constituitur, sed quatenus sunt entia: sicut et partes domus constituunt domum, quatenus sunt quaedam corpora, non quatenus sunt domus ⁸.

¹ S. Bon., *In lib. II Sent.*, Dist. XXVII, a. 1, q. I ad arg.

² Vid. p. 52.

³ S. Thom., 2^a 2^{ae}, q. XCII, a. 2 ad 1.

⁴ S. Bon., *ibid.*—⁵ Vid. litt. R.

⁶ I, q. XIII, a. 10 ad 1.

⁷ Vid. *Totius et partium non est eadem ratio*, litt. T.

⁸ I, q. XI, a. 2 ad 2.

N

DISTINCTIONES

I. NATURA—ESSENTIA. *Essentia* est id, per quod res in sua specie constituitur, et a ceteris distinguitur; et ideo est aliquid primum in re, radix omnium illius proprietatum; puta *animalitas*, et *rationalitas* respectu hominis; homo enim ex his in sua specie collocatur, atque a ceteris rebus distinguitur, neque in eo aliquid est prius *animalitate*, et *rationalitate*, a quibus omnes illius proprietates fluunt, puta vis intelligendi, sentiendi, appetendi etc. Appellari solet etiam *conceptus rei*, est enim id sine quo res accurate concipi nequit; *definitio*, quia *essentia* est illud, quod per definitionem significatur ¹; *quidditas*, quia per ipsam apte respondetur, dum quaeritur, quid res sit. Nomen *naturae* autem primo institutum est ad significandam generationem viventium, seu *nativitatem*; quo modo primogenitus dicitur ex *natura*, idest ex ipso nativitatis iure, praelatus fratribus. Quoniam vero haec generatio est a principio intrinseco, ideo nomen *naturae* extenditur ad significandum *principium intrinsecum cuiuscumque motus*, seu principium intrinsecum, a quo operationes rei promanant. Rursus, quia huiusmodi principium est *formale*, vel *materiale*, tam *materia*, quam *forma* nominatur *natura*, puta cum dicitur ad hominis *naturam* spectare tum animam, tum corpus. Denique cum per formam *essentia* cuiusque rei perficiatur, ideo ipsa *essentia* rei vocatur *natura* ². Ex his id intelligitur, quod vulgo docetur, *naturam* nempe esse ipsam *essentiam* rei, quatenus spectatur velut radix proprietatum, atque internum primum principium operationum entis. Ad aliud etiam significandum vox *natura* adhibetur, nempe totam collectionem rerum creaturarum, et virium, quae earum sunt propriae, ut cum dicimus aliquid esse in rerum *natura*, idest in universo; vel aliquid

¹ Vid. p. 92.

² I, q. XXIX, a. 1 ad 4. « Veteres . . . pro *essentia* et *substantia naturam* vocabant »; s. Aug., *De mor. Man.*, et *Eccl. Cath.*, lib. II, c. 2, n. 2.

fieri secundum naturae vires, idest secundum vires, quae ambitu rerum creaturarum continentur ¹.

II. NATURALE—CONNATURALE. Sicut natura dicitur vel nativitas rei, vel essentia, ita aliquid naturale dupliciter accipi potest, scilicet vel quatenus ex principiis essentialibus rei profluit; e. g., naturale est ligni sursum ferri ²; vel quatenus a nativitate accipitur; e. g., hoc modo naturalia dicuntur quae a Deo habuit homo in principio creationis sive secundum communem naturae cursum, sive per beneficium gratiae ³. Iam naturale hac altera ratione acceptum minus proprie dicitur naturale ⁴; altera autem ratione est proprie naturale, et ideo dicitur connaturale. E. g., immortalitas, qua primus homo a Deo in creatione donatus fuit, dici potest aliquo modo naturalis, quia in ipsa naturae creatione illam a Deo accepit; numquam vero connaturalis, quia naturae proprietas non est, seu ex naturae principiis non fluit, neque ipsi est debita. Hinc s. Bonaventura: « Dicendum quod non omne, quod inest homini a principio suae nativitatis, naturale est, nisi extendatur hoc nomen naturale; multa enim bona gratis data concreantur, et dantur cum natura, sicut planum est ⁵ ».

III. NATURALITER — SUPERNATURALITER. 1^o Naturaliter fieri dicitur illud, quod evenit secundum consuetum naturae ordinem, qui profecto etiam Causae primae ordinarium concursum complectitur. E. g., naturaliter tempore aestivo plantae crescunt. 2^o Naturaliter fit id quod non excedit agentium naturalium vires; e. g., naturaliter per opportuna remedia sanitas infirmo restituitur. 3^o Naturale, seu potius connaturale, uti iam explicavimus, dicitur id, quod expostulatur a naturalibus principiis, ex quibus res constituitur, nempe id quod « convenit sibi secundum conditionem suae formae, per quam in tali natura constituitur ⁶ »: ita cognitio rerum intelligibilium sub forma sensibili est homini connaturalis. Supernatura-

¹ « Hanc etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum, solitumque naturae, contra quam Deus cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur »; s. Aug., *Contr. Faust.*, lib. XXVI, c. 3.

² 3, q. II, a. 12 c.

³ Ibid., q. XXXV, a. 3 ad 2.

⁴ In lib. IV Sent., Dist. XVII, q. III, a. 1 sol. 2 c.

⁵ In lib. II Sent., Dist. XIX, a. III, q. 1 ad arg.

⁶ S. Thom., In lib. II Sent., Dist. XXXIX, q. II, a. 1 sol.

liter vero 1^o fit illud, quod evenit per extraordinarium concursum Causae primae, seu ita ut Deus effectum aliquem naturalem sine causis naturalibus agat: ita fieret sanatio aegri temporis momento. 2^o Illud, quod naturae creatae vires prorsus excedit; puta maris divisio, ut trans-euntibus iter praebeat, mortui ad vitam revocatio etc. Hinc illa mira, quae ope daemonis fiunt, quaeque effectus magici vocantur, non nisi relative supernaturalia, prout a creatura, quae altera superior est, producuntur, numquam vero absolute supernaturalia sunt; siquidem omnis naturae creatae vires non excedunt. 3^o Supernaturaliter alicui inest, vel convenit illud, quod excedit eius naturalem facultatem; ita ut perficiatur supra id, quod ipsius naturalis constitutio peteret; e. g., intuitiva cognitio Dei est intellectui creato supernaturalis ¹.

IV. NATURALITER — VIOLENTER ².

V. NATURA NATURANS—NATURA NATURATA. Natura naturans a quibusdam vocatur ipse Deus, quatenus est auctor, conservator et moderator naturae ³. Complexus rerum omnium creaturarum dicitur natura naturata. Penes antiquiores autem natura naturans est natura universaliter accepta, prout constituit essentiam rerum particularium: « Haec est natura, quam antiqui vocabant naturantem, nempe, est qua principium principiat principiatum, et dat ei naturam, qua sit, et qua diffiniatur in vero esse ». Natura vero naturata est « natura particularizata, et ad singularem deducta ⁴ ».

VI. NECESSITAS ANTECEDENS—CONSEQUENS. Necessitas antecedens est vel quae oritur ex violentia, et dicitur etiam necessitas coactionis ⁵, et haec « non cadit in motibus voluntatis, eo quod voluntas naturaliter est a coactione

¹ « Id enim Divinae solummodo gratiae proprium est, ut certa quadam ratione Deificationem rebus tribuat, quae nimirum naturam, luce naturam excedente, illustret, supraque proprios fines excellentia gloriae ac claritatis elevet »; s. Maxim. *Capita ad theol. et oconom. spectantia*, Capita centena prima, n. 76.

² Vid. *Motus naturalis — violentus*, p. 206.

³ « Natura dicta est ab eo, quod nasci aliquid faciat; gignendi enim et faciendi potens est. Hanc quidem Deum esse dixerunt, a quo omnia creata sunt, existunt »; s. Isidor., *Etymolog.*, lib. XI, c. 1.

⁴ B. Alb. M., *Poster.*, lib. I, tract. II, c. 3.

⁵ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XVII, a. 3 c.

libera ¹ »; vel est vis, qua res naturali inclinatione, quam vitare non potest, ad unum movetur: Huiusmodi est necessitas, qua lapis, nullo retinente obice, deorsum fertur, vel qua voluntas humana ad bonum universale tendit ². *Consequens* ea est, quae sequitur liberum voluntatis consensum: hoc modo necesse est loquentem loqui ³, vel necesse est voluntatem hoc aliquid eligere eo quod velit aliud bonum consequi, vel aliquid malum vitare. Ista vocatur etiam *hypothetica*, vel *ex suppositione*, illa *absoluta* ⁴.

VII. NECESSITAS CONSEQUENTIAE—NECESSITAS CONSEQUENTIS. In syllogismo aliud est conclusionem necessario sequi ex praemissis, aliud conclusionem necessariam sequi; nam in omni syllogismo sequitur necessario, sed non in omni necessaria est. Quare duplex notatur necessitas conclusionis, una nempe *consequentiae*, seu *formae*, quae dicitur etiam *hypothetica*, altera *consequentis*, seu *materiae*, quae dicitur etiam *absoluta*. Necessitas *formae* est, quando ob formam syllogisticam, eo quod in tali figura, aut tali modo sit, necessario colligitur conclusio. Necessitas autem *materiae* est, quando res ipsa, quae concluditur, necessaria est, ita ut eius oppositum sit simpliciter impossibile. Illa in omnibus syllogismis reperitur; haec non in omnibus, sed maxime in demonstrationibus.

VIII. NECESSITAS QUOAD EXERCITIUM—QUOAD SPECIFICATIONEM. Opponuntur *indifferentiae quoad exercitium*—*quoad specificationem* ⁵.

IX. NEGATIO—PRIVATIO. *Negatio* est absentia formae in

¹ *Ibid.*—² Vid p. 192.

³ « Est necessitas praecedens, quae causa est, ut res sit, et est necessitas sequens, quam res facit. Praecedens et efficiens necessitas est, cum dicitur coelum volvi, quia necesse est, ut volvatur. Sequens vero, et quae nihil efficit, sed fit, est cum dico, te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut dum loqueris, non loquaris, non quod alius te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit coelum volvi; te vero nulla necessitas facit loqui. Sed ubicumque est praecedens necessitas, est et sequens; non autem ubi sequens, ibi statim et praecedens. Possumus namque dicere, necesse est coelum volvi, quia volvitur; sed non similiter est verum, idcirco te loqui, quia necesse est, ut loquaris »; s. Anselm., *Cur Deus homo*, c. XVII.

⁴ Alias explicationes necessarii *absoluti* et *hypothetici*, vid. p. 3-4.

⁵ Vid. p. 170.

subiecto ad eam recipiendam inepto; cuiusmodi est absentia visus in lapide. *Privatio* est absentia formae debita subiecto; e. g., caecitas in oculo Petri. « Quando aliquid, inquit s. Thomas, non habet illud, quod natum est habere, et quando, et ubi, et secundum alias condiciones, sic proprie dicitur privatio, et imperfectionem importat ¹ ». Dicitur *quando*, et *ubi*, siquidem infans, e. g., non vocatur edentulus, quia tali tempore non est aptus habere dentes; neque homo vocatur coecus, eo quod non habet visum in manu ². Porro, *privatio*, ratione subiecti, atque eius idoneitatis ad formam, est quodammodo quid reale et positivum, unde *privations* maiores, vel minores dicuntur; at huiusmodi non est respectu absentiae formae; visus enim absentia nihil praecise est. Quid autem sit *privatio simplex*, et non *simplex*, explicabitur litt. P.

X. NOMEN PRIMAE NOTIONIS—SECUNDAE NOTIONIS ³.

XI. NOMINA PROPRIA—APPROPRIATA. Haec distinctio a Theologis Scholasticis traditur quoad nomina, quae adhibentur in *Divinis*. Scilicet *nomina propria* sunt quae notionem cuiusque Personae Divinae significant, nec alteri convenire possunt: e. g., *Ingenitus*, *Pater* sunt nomina primae Personae. *Appropriata* vero sunt tribus Personis communia, sed aptantur uni propter quamdam cum Eius notione congruentiam; e. g., *Sapientia* attribuitur Verbo, quia a Patre per intellectum procedit.

XII. NOMINALITER—PARTICIPALITER ⁴.

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 2. Quod etiam Tullius docuit iis verbis: « Cum non habeas, quod tibi nec usu, nec natura sit aptum, non careas, etiam si sentias te non habere »; *Qq. Tuscul.*, lib. I, c. 36.

² « Haec (*privatio*) porro tribus hisce notis insignitur, ut sit quod natura comparatum est habere, nec ullo tamen pacto habet, verum prorsus privatum est; et quando ac ubi natura comparatum est, e. g., non dicimus lapidem caecum esse; neque enim comparatus est, ut cernendi habitu polleat. Nec canem recens natum coecum appellamus, aut nuper natum infantem edentulum, quia eo tempore habere visum, aut dentes minime comparati sunt. Neque item pedem caecum esse dicimus, quandoquidem a natura non habet in pede videndi habitum. Cum igitur tribus his modis habere comparatum est, nec tamen habet, *privatio* dicitur »; s. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 58.

³ Vid. p. 179.

⁴ Vid. *Participaliter*, litt. P.

XIII. NOTIO FORMALIS PRIMA — OBJECTIVA PRIMA — SECUNDA FORMALIS — SECUNDA OBJECTIVA ¹.

XIV. NOTIONALIS ACTUS — ESSENTIALIS. Quoniam *notio* in Divinis est *propria ratio cognoscendi Personam Divinam* ², ita Theologi Scholastici appellant *actum essentialem*, prout hic Tribus Personis est communis; *notionalem*, prout alicuius Personae est proprius. E. g., intellectio, prout Tribus Personis est communis, dicitur *essentialis*; prout per illam Pater generat Filium, dicitur *notionalis*, seu *propria Patris*.

XV. NOTUM SECUNDUM SE, ET QUOAD NOS — NOTUM SECUNDUM SE, ET NON QUOAD NOS. Sunt duo modi, quibus propositio dicitur *per se nota*. Scilicet *per se nota* est propositio, cuius praedicatum in ipsa subiecti ratione includitur. Iam si medio non indigeat, ut a nobis illi subiecto praedicatum inesse cognoscatur; propositio erit *nota secundum se et quoad nos*. Contra, si propositio *per se nota* indiget medio, ut a nobis cognoscatur, tunc erit quidem *nota secundum se, sed non quoad nos*. E. g., haec propositio, Homo est ratione praeditus, est *per se nota secundum sui naturam*; qui enim dicit *hominem*, dicit simul *ratione praeditum*. Si quis tamen ignoret definitionem subiecti, eadem propositio erit *nota secundum se*, sed non quoad illum qui subiectum propositionis ignorat. Ex hoc colligitur, ut sint quaedam propositiones, *per se notae*, quae sunt notae *secundum se et quoad omnes*; scilicet illae, quarum termini sunt omnibus noti, ut, Omne totum est maius sua parte; aliae, quae sunt notae tantum *secundum se*, e. g., existit Deus; siquidem, cum terminos huius propositionis secundum propriam rationem non apprehendamus, idest *existentiam* ad ipsam Dei essentiam pertinere immediate non cognoscamus, demonstratione indigemus, ut illa veritas a nobis perspiciatur; denique aliae, quae sunt notae *secundum se*, et quoad illos, qui terminos propositionis intelligunt; ut, incorporalia non sunt in loco *circumscriptive* etc. ³.

XVI. NOTIUS NOBIS — NOTIUS NATURA. Quemadmodum intellectus noster non simul per se omnia cognoscit, sed

¹ Vid. *Intentio prima — Intentio secunda*, p. 179.

² I, q. XXXII, aa. 2 et 3.

³ Vid. s. Thom., I, q. II, a. 1 c., et 1^a 2^{ae}, q. XCIV, a. 2 c.

quaedam prius, quaedam posterius, atque non semper eundem, quem natura, observat ordinem, fit, ut aliud sit *notius natura*, aliud *notius nobis*: Scilicet, *notiora natura* appellantur quae natura sua huiusmodi sunt, ut magis cognosci possint, seu naturam habent magis cognoscibilem, quamvis propter cognitionis nostrae modum minus a nobis cognoscantur. *Notiora nobis* sunt quae prius nostrae cognitioni occurrunt, et medium nobis praebent ad aliarum veritatum cognitionem. E. g., simplicia *natura sua magis nota* sunt, quam composita; item causae rerum sensibilium magis, et prius, quam effectus; unumquodque enim cognoscibile est, quatenus actu est ¹; simplicia autem et causae magis actu sunt, quam composita et effectus. E contrario, *nobis notiora* sunt composita simplicibus, effectus causis; nam etsi composita, et effectus naturam habeant minus cognoscibilem, tamen propter rationem cognitionis nostrae, quae a sensibus pendet, magis et prius a nobis cognoscuntur, quia magis in sensum incurrunt; et ex eorum cognitione ad cognitionem simplicium et causarum devenimus ²: « Dico autem quoad nos, sive nobis priora, quae proxima sensui sunt; simpliciter autem, et secundum naturam sunt priora et notiora, quae longius sunt, sive longinquiora a sensu ³ ».

Itaque vel hinc videre licet ea, quae natura sua magis cognosci possunt, minus propter cognitionis nostrae infirmitatem a nobis cognosci; et quae a nobis magis cognoscuntur, natura sua minus esse cognoscibiles. Quemadmodum, etsi nihil sit adspectabilius lumine, cum per illud cetera omnia aspiciantur, tamen vespertilioes propter oculorum suorum imbecillitatem neque facile illud ferre, neque videre possunt.

Quocirca ex eo, quod Deus *natura* magis notus est, quam res ab Eo creatae, perperam inferunt Ontologi Deum im-

¹ Vid. *Nihil cognoscitur, nisi secundum quod est in actu*.

² « Natura quidem prima est intelligentia: nobis autem et respectu nostri sensus »; Clem. Alex., *Strom.*, lib. II, n. 4.

³ B. Alb. M., *Post.*, lib. I, tract. II, c. 3. Et alibi: « In principio . . . suat magis nota sensibilia »; *Top.*, lib. VI, tract. II, c. 1. *In principio* quidem; nam « postea, quando homines fiunt certiores per doctrinam et sapientes, tunc e contrario magis nota priora secundum naturam, et minus nota sensibilia videntur »; *ibid.*

mediate a mente nostra videri, et res creatas per Deum cognosci, siquidem Deus, qui est magis notus *natura sua*, quam res ab eo creatae, est minus notus *nobis*, quam istae: « Quoad nos prius, ait Alb. M., oppositum est in modo cognoscendi ei quod est notius et prius secundum naturam ¹ ».

Diximus *universalia natura sua esse notiora*. Quod profecto ex eo non infringitur, quod Aristoteles interdum docet, nempe universalia esse notiora nobis ². Nam universalia sunt nobis notiora, quam singularia, non quidem si spectentur tamquam intelligibilia, quae ad sensibilia referuntur, sed prout sunt tota quaedam, ea ratione, qua diximus magis universale esse prius notum, quam minus universale ³; siquidem totum cognitione quadam rudi et confusa notius est *nobis*, quam partes, e. g., animal *indistincte*, seu *in quantum est animal*, notius est *nobis*, quam animal *distincte*, seu *in quantum est animal rationale, vel irrationale* ⁴: « Universale duobus modis considerari potest. Uno scilicet modo, prout est confusum et mixtum in particulari, et hoc modo in signis citius sentitur universale, quam particulare per sensum, quia citius sentiuntur signa substantiae, quam animalis, et citius signa animalis, quam hominis, et citius signa hominis, quam Sortis. Potest etiam accipi universale in sua puritate, in qua separatum est a particulari; et hoc modo non est nisi in intellectu; et est propinquum intellectui, et longinquius a sensu ⁵ ».

Denique circa hanc distinctionem illud monendum est, quod eam inanem esse perperam arguitur ex eo, quod omnis cognitio est nostra, et quae nota sunt nobis sunt nota. Nam licet omnis cognitio sit nostra et quae nota sunt, nobis sint nota, tamen alia sunt nota nobis ordinem naturae sequentibus, alia vero sequentibus ordinem naturae contrarium. Naturae ordine ex causis cognoscuntur effecta, quoniam ex causis sunt; at contra naturae ordinem est ex effectis causas cognoscere, cum natura non soleat

¹ *De Intellectu et Intelligibili*, lib. I, tract. III, c. 2.

² Vid. Alb. M., *Post.*, loc. cit.

³ Vid. p. 208-209.—⁴ I, q. LXXXV, a. 3 c.

⁵ B. Alb. M., *Post.*, loc. cit.

ex effectis causas producere, sed contra ex causis effecta. Quae ergo novimus naturae ordinem sequentes, dicuntur *natura nota*: quae vero contra, dicuntur esse nota *nobis* ¹.

XVII. NUMERUS FORMALIS—NUMERUS MATERIALIS. *Numerus formalis* est forma, quae advenit rebus, eo quod sint tot; puta dualitas, trinitas etc. *Materialem numerum* vero constituunt res ipsae numeratae, e. g., homines.

XVIII. NUMERUS NUMERANS—NUMERUS NUMERATUS. « Numerus dicitur dupliciter. Uno modo id, quod numeratur actu, vel quod est numerabile, ut cum dicimus decem homines, vel decem equos; qui dicitur numerus numeratus, quia est numerus applicatus rebus numeratis. Alio modo dicitur numerus quo numeramus, id est ipse numerus absolute acceptus, ut duo, tria, quatuor ² ».

XIX. NUMERUS TRANSCENDENTALIS—NUMERUS QUANTITATIVUS ³.

N

EFFATA

I. NATURA DETERMINATUR AD UNUM. *Naturae* nomine hic intelliguntur causae naturales ⁴. Porro hae dicuntur determinatae ad unum, non quidem quatenus hunc *numero* actum vel effectum possunt tantum producere, sed quatenus circa unum ex oppositis, non ad utrumque versari possunt, et quatenus uno modo plures effectus producunt. Ratio autem huius effati ex alio iam explicato ⁵ colligitur, nempe, *Modus operandi sequitur modum essendi*; cum enim unumquodque *similiter habeat esse et operationem*, cumque causae naturales eiusmodi sint, ut electionis vi haud fruantur, sequitur ut in ipsis, secundum verba s. Thomae ⁶, *virtus operativa sit determinata ad unum*. Iamvero,

¹ Vid. Balforeus, *Comment. et Quaest. in Org. logicum Aristotelis*, ad lib. III *Analyt.*, c. I, p. 526, Burdigalae 1616.

² S. Thom., *Phys.*, lib. VIII, lect. 14.

³ Vid. *Unitas transcendentalis — quantitativa*, litt. U.

⁴ « Naturalia quippe sunt immobilia »; s. Ioann. Chrysost., *In Matth. Hom.* LIX, al. LX, n. 2.

⁵ P. 213.—⁶ I, q. XXII, a. 2 ad 4.